

metaphoram, in illâ latentem, nescio quas Fanaticas sibi chimæras sæpius fingant simpliciores.

*XII. Qui ex DEO regeneratus est, peccatum voluntarium non facit, & quamquam Satanæ carnisque tentationes eundem sine peccato esse non patiantur, DEI tamen semen, verbum Divinum, ex quo regeneratus est, in illo simul manet, ut in peccandi actum, quamdiu regeneratus est, non erumpat: immò, quia plurimi profani hujus mundi filii dicunt, posse Christianum utique peccatis indulgere & tamen filium DEI manere, ego Johannes edico: Filius DEI, quamdiu filius DEI manet, non potest peccare, quia ex DEO natus est & eo ipso Satanæ & carnis operibus penitus renunciavit. I. Joh. III. 9.*

---

*Disp. XXIX.*

De

## Conversione.

I.

**C**ONVERSIONIS initium, medium & finis à solâ gratiâ DEI supernaturali est, nihil ab homine. Phil. II. 13.

*II. Gratia DEI præveniens naturalem in homine, non tam repugnantiam, quam repugnandi necessitatem tollit. Ap. III. 20.*

*III. Quando igitur homo non repugnat gratiæ, ex solo gratiæ beneficio, Jer. XXXI. 18. 19. quando repugnat, ex superadditâ novâ malitiâ est. Act. VII. 51.*

*IV. Non potest homo vel evitare vel repugnare compunctioni animi, per primum gratiæ gradum in ipso effectæ, quo minus exurgat, quamquam possit conceptam semel compunctionem statim iterum comprimere, eique resistere, ne radices agat. Act. XXIV. 25. Jer. XXIII. 29.*

*V. Gratia convertens ab illuminatione mentis incipit, quo nomine omnis in re sacrâ informatio venit, quamquam ultimum fidei salutaris effectum non semper attingat. Act. XXVI. 18. Joh. I. 9.*

*VI. Non ideò à gratiâ verè illuminatus non est, qui in*

E 3

pluri-